

fide Christi nominis imbuat, in ipsius primę sedi[s di]ocesi, sicut sacri docent canones, computantur.

5. Et quia p[rop]ter^a longinquitatem omnes hae provincię ad ordinationem apo[s]tolici papae et ad annuas Romanas synodos convenire non possunt, eadem providentissima atque prudentissima seu discretissima sedes diversos primates per diversas provincias constituit suasque vices eis, sed non uniformiter, commisit, sicut Leo ad Anastasium Thessalonicensem episcopum, qui vices apostolicę sedis in provinciis illarum partium tenet, de metropolitanis¹ singularum provinciarum episcopis, quibus ex delegatione sedis apostolicae ipsius cura praetendebatur, scribit dicens²: De persona, inquit, consecrandi episcopi et de cleri^b plebisque consensu metropolitanus episcopus ad fraternitatem tuam referat, *quodque in provincia bene placuit, scire te faciat, ut ordina[ti]onem^c rite celebrandam tua quoque firmet auctoritas. [Q]uae rectis dispositionibus nihil morę aut difficultatis de[be]bit adferre, ne gregibus Domini diu desit cura pastorum. Metropolitano vero defuncto cum in locum eius alius fue[rit] subrogandus, provinciales episcopi ad civitatem metropolim^d [c]onvenire debebunt, ut omnium clericorum atque omnium [c]ivium voluntate discussa ex presbiteris ecclesiae eiusdem vel ex diaconibus optimus eligatur, de cuius nomine ad tuam notitiam provinciales referant sacerdotes, impleturi vota poscentium, cum quod ipsis placuit tibi quoque placuisse cognoverint. Sicut enim iustas electiones nullis dilationibus volumus fatigari, ita nihil permittimus te ignorante praesumi^e. Et de³ conciliis episcopalibus loquens, quę provinciali nequeunt examine diffiniri, ad primatem referri pręcepit; quod et si nec eius fuerit res sopita iudicio, ad apostolicae sedis cognitionem perferri. Et si⁴ aliqua causa maior fuerit, ob quam rationabile *ac necessarium sit a primate fratrum advocare conventum, binos *f. 18'. de singulis provinciis episcopos, quos metropolitani crediderint esse mittendos ad primatem, decrevit sufficere. Episcopos autem non⁵ ultra quindecim dies in synodo retineri praecepit.

6. Episcopo⁶ vero Arelatensi per Gallias et septem provincias,

^{a)} Zeilenende zerstört.

^{b)} 1 auf Ras.

^{c)} Zeilenanfang zerstört.

^{d)} Zwischen i und m 1 Buchstabe rad.

^{e)} -sumi auf Ras.

¹⁾ MIGNE 67, 293 c. 32; HINSCHIUS S. 619 c. 1 (J-K. 411). ²⁾ MIGNE 67, 294 c. 36; HINSCHIUS S. 619 c. 5. ³⁾ MIGNE 67, 294 c. 37; HINSCHIUS S. 619 c. 6. ⁴⁾ MIGNE 67, 295 c. 40; HINSCHIUS S. 620 c. 9. ⁵⁾ MIGNE 67, 295 c. 41; HINSCHIUS S. 620 c. 10. ⁶⁾ Vgl. Hinkmar, 'De iure metropolitanorum', MIGNE 126, 200.